



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum conuenienter determinantur istæ partes vngendæ? 6

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

Ad primum ergo dicendum, quòd anima quamvis sit tota in qualibet parte corporis, quantum ad essentiam, non tamen quantum ad potentias, quæ sunt radices actuum peccati. Et ideo oportet, quòd in determinatis partibus fiat, in quibus illæ potentie habent esse.

Ad secundum dicendum, quòd non semper apponitur medicina ubi est morbus: sed congruentius, ubi est radix morbi.

Ad tertium dicendum, quòd baptisimus fit per modum ablutionis. Ablutio autem corporalis non purgat maculam \* ab aliqua parte, nisi cui apponitur. Et ideo baptisimus toti corpori adhibetur: secus autem est de extrema unctione, ratione iam dicta †.

## ARTIC. VI.

*Vtrum conuenienter determinentur partes ungenti.*  
**A**D sextum sic proceditur. Videtur, quòd non conuenienter determinentur istæ partes, ut scilicet infirmus inungatur in oculis, in naribus, auribus, labijs, manibus, & pedibus. Quia sapiens medicus curat morbum in radice. Sed de corde exeunt cogitationes quæ coinquinant hominem: ut dicitur Matt. 15. Ergo in pectore debet fieri inunctio.

¶ 2 Præterea, Puritas mentis non minus est necessaria exeuntibus, quàm intrantibus. Sed intrantibus ungentur chrismate in vertice à sacerdote, ad significandum mentis puritatem. Ergo & exeuntibus, hoc sacramento ungi debent in vertice.

¶ 3 Præterea, Ibi debet adhiberi remedium, ubi est maior vis morbi. Sed spiritualis morbus præcipue viget in viris, in renibus; & in mulieribus, in venterico, ut dicitur Iob. 40. Fortitudo eius in lumbis eius, &c. secundum expositionem Greg. †. Ergo ibi debet fieri inunctio.

¶ 4 Præterea, Sicut per pedes peccatur, ita & per alia membra corporis. Ergo sicut inunguntur pedes, ita & alia corporis membra inungi debent.

**RES-ONDEO** dicendum, quòd principia peccati

\* alias,

in.

† in co.

huius ar.

resp.

ad 1. et 2

131

li. 32. Mo

ca. 11.

di in nobis sunt eadem, quæ & principia agendi: quia peccatum consistit in actu. Principia autem agendi in nobis sunt tria. Primum est, dirigens, scilicet vis cognoscitiua. Secundum est, imperans, scilicet vis appetitiua. Tertium est exequens, scilicet vis motiua. Omnis autem nostra cognitio a sensu ortum habet: & quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet vnctio adhiberi; ideo inunguntur loca quinque sensuum; scilicet oculi, propter visum; aures, propter auditum; nares, propter odoratum; os, propter gustum; manus, propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipue viget; & propter appetitiuam inunguntur aliquibus renes. Pedes autem inunguntur propter motiuam, qui sunt principalis eius instrumentum. Et quia primum principium operationis humanæ est cognoscitiua; ideo illa vnctio ab omnibus obseruatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti: sed quidam non seruant alias, quidam vero illam seruant, quæ fit ad pedes, & non quæ ad renes: quia appetitiua & motiua sunt secundaria principia.

Ad primum ergo dicendum, quod cogitatio a corde non exit nisi per aliquam imaginationem, quæ est motus a sensu factus, vt dicitur in 2. de anima. Et ideo cor non est prima radix cogitationis, sed organa sensuum, nisi quatenus cor est principium totius corporis: sed hoc principium est radix remota.

Ad secundum dicendum, quod intrantes debent acquirere puritatem mentis, sed exeuntes debent eam purgare. & ideo exeuntes debent inungi in illis partibus, quibus contingit puritatem mentis inquinari.

Ad tertium dicendum, quod secundum quorundam consuetudinem fit in renibus, propter hoc quod ibi maxime viget concupiscibilis: sed appetitiua non est prima radix, vt dictum est.

Ad quartum dicendum, quod organa corporis quibus actus peccati exercentur, sunt pedes, manus, & lingua, quibus etiam exhibetur vnctio; & membra  
 Supplementum. S geni-

*alias, medicina.*

*Conc. Florent sup. vnione Iacobinorum & Armeniorum in doctrina de sacram.*

*lib. 2. c. 160.*

*in corp. art.*